



## Informazioni su questo libro

Si tratta della copia digitale di un libro che per generazioni è stato conservata negli scaffali di una biblioteca prima di essere digitalizzato da Google nell'ambito del progetto volto a rendere disponibili online i libri di tutto il mondo.

Ha sopravvissuto abbastanza per non essere più protetto dai diritti di copyright e diventare di pubblico dominio. Un libro di pubblico dominio è un libro che non è mai stato protetto dal copyright o i cui termini legali di copyright sono scaduti. La classificazione di un libro come di pubblico dominio può variare da paese a paese. I libri di pubblico dominio sono l'anello di congiunzione con il passato, rappresentano un patrimonio storico, culturale e di conoscenza spesso difficile da scoprire.

Commenti, note e altre annotazioni a margine presenti nel volume originale compariranno in questo file, come testimonianza del lungo viaggio percorso dal libro, dall'editore originale alla biblioteca, per giungere fino a te.

## Linee guide per l'utilizzo

Google è orgoglioso di essere il partner delle biblioteche per digitalizzare i materiali di pubblico dominio e renderli universalmente disponibili. I libri di pubblico dominio appartengono al pubblico e noi ne siamo solamente i custodi. Tuttavia questo lavoro è oneroso, pertanto, per poter continuare ad offrire questo servizio abbiamo preso alcune iniziative per impedire l'utilizzo illecito da parte di soggetti commerciali, compresa l'imposizione di restrizioni sull'invio di query automatizzate.


Inoltre ti chiediamo di:

- + *Non fare un uso commerciale di questi file* Abbiamo concepito Google Ricerca Libri per l'uso da parte dei singoli utenti privati e ti chiediamo di utilizzare questi file per uso personale e non a fini commerciali.
- + *Non inviare query automatizzate* Non inviare a Google query automatizzate di alcun tipo. Se stai effettuando delle ricerche nel campo della traduzione automatica, del riconoscimento ottico dei caratteri (OCR) o in altri campi dove necessiti di utilizzare grandi quantità di testo, ti invitiamo a contattarci. Incoraggiamo l'uso dei materiali di pubblico dominio per questi scopi e potremmo esserti di aiuto.
- + *Conserva la filigrana* La "filigrana" (watermark) di Google che compare in ciascun file è essenziale per informare gli utenti su questo progetto e aiutarli a trovare materiali aggiuntivi tramite Google Ricerca Libri. Non rimuoverla.
- + *Fanne un uso legale* Indipendentemente dall'utilizzo che ne farai, ricordati che è tua responsabilità accertarti di farne un uso legale. Non dare per scontato che, poiché un libro è di pubblico dominio per gli utenti degli Stati Uniti, sia di pubblico dominio anche per gli utenti di altri paesi. I criteri che stabiliscono se un libro è protetto da copyright variano da Paese a Paese e non possiamo offrire indicazioni se un determinato uso del libro è consentito. Non dare per scontato che poiché un libro compare in Google Ricerca Libri ciò significhi che può essere utilizzato in qualsiasi modo e in qualsiasi Paese del mondo. Le sanzioni per le violazioni del copyright possono essere molto severe.

## Informazioni su Google Ricerca Libri

La missione di Google è organizzare le informazioni a livello mondiale e renderle universalmente accessibili e fruibili. Google Ricerca Libri aiuta i lettori a scoprire i libri di tutto il mondo e consente ad autori ed editori di raggiungere un pubblico più ampio. Puoi effettuare una ricerca sul Web nell'intero testo di questo libro da <http://books.google.com>

B. N. C.  
FIRENZE  
1167  
13





467 13

Digitized by Google









87  
13

5.

2000000


7/11

1147. 12

M. ANTONII MAIORAGII  
DISSERTATIO  
APOLOGETICA,

In qua plurimæ corruptæ & vitiosæ locutiones  
Gaudentii Merulae notantur & castigantur,

Nuperrime inter veteres auctoris schedas Medio-  
lani reperta & nunc primum typis descriptae.



TRAJECTI ad RHENUM,

Apud JOHANNEM KETELIUM,  
Anno c. I. c LXIV.



**VIRO AMPLISSIMO,  
NICOLAO HEINSIO  
ILLUSTRISSIMORUM ORDINUM  
FOEDERATI BELGII**

**A P U D**

**SERENISS. SUECIÆ REGEM  
ORATORI**

**MAGNÆ FIDEI & PRUDENTIÆ,  
CUJUS MIRIFICAM INGENII ET DOCTRINÆ VENU-  
STATEM,  
RARISSIMUMQUE IN OMNIBUS VITÆ OFFICIIS CAN-  
DOREM,**

**PARI CUM HUMANITATE,  
QUICQUID EST PER EUROPAM  
ELEGANTIORUM HOMINUM  
MIRATUR ET SUSPICIT,  
OPUSCULUM MAJORAGIANUM  
EX PULVERE MEDOLANENSI  
INTER ALIAS TANTI VIRI RELIQUIAS  
FELICITER ERUTUM  
SAMUEL SCIASSIUS.  
AMORIS ET OBSERVANTIA  
EXIGUUM MONUMENTUM  
B. D.**

1167. 3

M. ANTONII MAJORAGII  
A P O L O G I A.

*In Gaudentium Merulam, qua declarat a se minime relegatum esse Ciceronem ac Terentium, quemadmodum ille fixerat quodam in Dialogo, & centum atque amplius ejus errores notat, contra usitatam Ciceroni, ac Terentio locutionem.*

Ntequam ad causam accedo, nobilissimi auditores, prius de officio meo, ac ratione vitæ nonnulla discerere statui, ut omnes intelligent me non libenter, aut cupide quenquam insectari, sed cum necessitas cogit, tantum aliorum maledicta repellere. Ego enim semper eam laudem duxi maximam, quam sibi quisque propria virtute pararet, non quam per alterius incommodum & calamitatem acquireret. Itaque vere hoc possum iurejurando affirmare, me neminem unquam offendere statuisse, nisi gravissimis injuriis laceratum. quin potius quantum facultas mea tulit, de plurimis benemereri, & quibus-

A

cunque



2 M. ANTONII MAJORAGII

cunque possem gratificari studiis. Hanc enim unam laudis ac dignitatis pulcherrimam esse viam semper agnovi, nullos habere penitus, modo fieri possit, inimicos, amicos vero quamplurimos. hoc igitur officio semper in omnes quibuscum mihi fuit aliquod négocium usus sum, ut in eos tam facilis essem ac modestus, ut omnes me amarent plurimum, rationem vero vite sic institui. cum ab ineunte adolescentia mihi persuasissim nullam artem esse præstantiorem, aut quæ in ampliori gradu dignitatis hominem locare posset, quam literarum, ita earum studiis deditus sum, ut nihil aliquid mihi dulce, nihil suave, nihil jucundum videatur. ita per multos annos & græcis & latinis auctoribus operam dedi, ut nullam partem neque dierum, neque noctium intermitterem, sèpiusque etiam de salute propter nimias vigilias periclitatus sim, donec tandem de medicorum consilio coepi aliquid de summa illa diligentia remittere. Itaque jam decem annis ita versor in literis & Græcis & Latinis, ut labore atque industria paucis concedam, quamvis eruditione quamplurimis. Hoc autem omni tempore quo literis incubui, nihil mihi fuit antiquius quam ut latini sermonis proprietatem intelligerem, & stylum meum cum rerum

rerum varietate, tum splendore verborum exornarem, cui rei cum nullos aptiores esse vide-rem auctores quam Terentium ac Ciceronem, eos statim ab initio mihi proposui, quos dili-gentissime legerem, quos in sinu gestarem, & quos nunquam de manibus deponerem. hos ita mihi familiares reddidi, & in eis tam multa no-tavi, ut, quemadmodum omnes judicare pos-sunt, aliquam mihi dicendi facultatem, non omnino barbaram acquisiverim: atque hujus rei non aliis mihi testibus opus est, quam vo-bis, qui me frequenter audivistis. Scitis enim quam sollicitus sim, in verborum proprietati-bus declarandis, quam nimis etiam aliquando superstitiosus, in his quæ videntur a Ciceronia-na phrasi dispare. Quæ cum ita sint spera-bam me aliquam in hac parte gloriam ac lau-dem jam consecutum, cum repente quidam imperiti literatores, omnis veræ laudis exper-tes, contra me sunt exorti: qui me quo jure quaque injuria persequerentur, sperantes hac ratione fieri posse, ut ipsi magis innotescerent, si de fama mea detraxissent. ex hoc numero fuit semper hic Gaudentius Merula de quo su-mus hodie verba facturi. hic me jampridem

A 2

non

## 4 M. ANTONII MAJORAGII

non cessat injuriis laceſſere , mihi maledicere , finistris me rumoribus carpere , sed quæ antehac fecerat , facile illi omnia condonabam , nihil enim facilius obliuisci soleo , quam injurias . hoc vero quod in me proxime commisit , nullo modo condonari potest . Illud enim , quantum in ipso est , mihi ademit , quo solo sperabam me jam sati in hac civitate clarum esse . semper enim styli gloriam expetivi , quam nobis maximè Terentius ac Cicero largiuntur , hic autem planus improbissimus meo iudicio damnatos utrosque hos auctores publicis scriptis attestatur . Quin etiam Petrum Pomeranum eruditissimum virum , & mihi summa necessitudine conjunctum , quem praesentem astare video , & quem , ut ipsius eximia virtus postulat , honoris , & amplitudinis gratia nomino , non leviter offendit , sed is cum summa dicendi facultate praestet , facile poterit a se literatoris hujus importunissimi temeritatem propellere . me vero quis non intelligit meritissimo excandescere ? jureque velle tantam injuriam ulcisci ? me ne judge damnatus est Cicero ? quem unicum eloquentiaz lumen veneror ? cuius lectione suavitatem quandam incredibilem sentio ; cuius solo nomine recreor ? Pro Dii im-

mor-

## A P O L O G I A.

5

mortales , tantam ne esse salaconis hujus impudentiam ut tam aperte mentiri non erubescat ? Sed efficiam hodie profecto ut luce clarius apparet Merulam non solum Ciceronem non legisse, sed ne bonas quidem literas unquam a limine salutasse. Pudet me tamen non mediocriter Auditores, non equidem mei qui ab ineunte ætate ita semper vixi, ut nemo me jure possit reprehendere, neque sane hujus civitatis in qua non parvam ego dignitatem , plurimas amicitias & aliquod nomen sum consecutus : sed ineptiarum pudet istorum Iudi Magistrorum qui nullam aliam crescendi viam esse credunt, nisi per aliorum injuriam & ignominiam. pudet me, inquam, in hoc esse ordine, & Grammaticum appellari. Fortasse que hæc erit una maxima causa, quæ me vitæ genus immutare cogat. Quæ malum est ista perversitas? ut cum possis laborando, vigilando, virtute amplectenda in altiorem locum pervenire, tamen hoc non facias, de aliorum fama perpetuo detrahias. Ac mihi quidem cum hoc factum Merulæ considero venit in memorem maxime indignari, quod tanta petulantia, ac linguae proccitate, in tot homines sine causa debacchatus fuerit, & merito possent omnes illi succensere,

A 3

quos

## 6 M. ANTONII MAJORAGII

quos nominatim appellavit in eo Dialogo, cum præsertim sit res tam inepta & confusa, & barbara. cum enim eum diligentius perlego, nihil tandem ineptius, nihil insulsius, nihil magis Barbarum invenio. Quare miserari potius insanitem hominem quam illi maledicere cogito. Nam, quod ad me attinet, illum ego bonum virum, & nullis vitiis inquinatum judico, quamvis se miretur, atque inter doctos tanquam anser inter olores enumerari velit. quod quidem magnæ dementiæ non mediocre signum est. quanta enim insania est, mandare quenquam literis cogitationes suas, quas neque disponere, neque ornare tractare, neque distincte proloqui possit? quid furiosius sordidorum verborum farragine nulla subjecta sententia? Quod nili me tam graviter offendisset, sinerem illum gaudere suis bonis, & tanquam scarabæum in stercore suo volutari. neque hanc Camerinam, vel potius Mephitim commoverem. Timerem enim ne quisquam me natura maledicum existimaret, a quo vitio maxime semper abhorui, sed cum omniem in literis mihi auctoritatem conatus sit eripere, impudentissimeque meo judicio præstantissimos omnium autores Terentium & Ciceronem mihi familiarissimos

simos damnari finxerit, facere non potui quin eum turpiter mentiri ostenderem. Nam si nihil dixisse credherent fortasse aliqui, verum id esse, propter ea quod taciturnitas confessionem imitari creditur. Nunc mihi certum est planum ac manifestum facere, me longe diligentius atque accuratius Ciceronis opera legisse, quam ipse concupierit, & ipsum, ut dici solet, suis armis jugulare. bis enim interimitur qui suis armis perit. Nam, ut prætermittam cætera ejus opuscula, quæ plurimis undique scatent erroribus, ut ne pagella quidem in eis latina reperiri possit, in hoc uno Dialogo plusquam centum errores annotavi, partim contra receptam a Cicerone loquendi consuetudinem, partim impropre dicitorum verborum, partim, quod omnium turpissimum est, contra Grammaticorum omnium, & auctorum latinorum consensum. Nam Barbatus hic noster, triginta atque amplius Solæcismos insignes commisit, qui, si Diis immortalibus placet, solus Ciceronianus ac Tertianus in hac civitate dici vult. Itaque vos rogo per ipsius Ciceronis manes ut attente, bonaque cum venia quæ contra illum dicturus sum audiatis, res enim erit & utilis & jucunda.

Et

## 8 M. ANTONII MAJORAGII

Et quoniam meæ partes sunt ut de latina lingua verba faciam, propterea quod a Senatu Mediolanensi sim in hoc dignitatis gradu constitutus, ut literas humaniores publice profitear, nihil dicam de rebus ipsis quæ tractantur in eo Dialogo. non dicam, id quod verissimum est, sine ullo ordine, sine artificio, illa congesta esse omnia, non dicam esse addita plurima quæ nihil penitus ad rem pertineant. præteribo nullam esse subiectam sententiam, ac nihil tandem nisi meras nugas concludi, cum præsertim intelligam Aronem Battaleum virum argutissimum hanc suscepisse provinciam, ut ejus imprudentiam, ineptias, delirationes in rebus ipsis notet. de locutione igitur tantum ego verba facturus sum, ut ostendam eam non tantum Ciceronianam non esse, sed ne latinam quidem, verum plane barbaram, & solæcismis affluentem.

Ac primum illud prætermitto quod contra latinarum consuetudinem dixerit. *Domino Iohannes Baptista*, quoniam hoc vulgatum est vitium. atqui Cicerio (quem nos imitari in loquendo maxime debemus, quamvis ad clarissimos & potenterissimos viros scribat, nunquam tamen eos dominos appellat. neque quisquam eorum qui Ciceronis  
ætate

## A P O L O G I A.

xtate floruerunt ita locutus est.

Gaudentius: si ea quæ est in te, aut vis ingenii  
aut dicendi lepos.

Majoragius : Non potest hæc esse latina locu-  
tio. nam illa conjunctio *aut*, quæ pronomen se-  
quitur, aut voces conjungit ejusdem generis, ut  
si ita dixisses , si ea quæ est in te, aut vis ingenii,  
aut dicendi venustas, latinum esset , aut gemina-  
tum pronomen requirit, ut: si ea quæ est in te, aut  
vis ingenii, aut is dicendi lepos. vel opus est prio-  
rem conjunctionem relinquere hoc modo: si ea  
quæ est in te vis ingenii, aut dicendi lepos. at eo  
modo quo tu pronuncias solœcum est.

G: Quando id re præstare nequeam.

M: Hæc vox, quando, quotiescumque ponitur  
pro quoniam , indicandi modum postulat. Ci-  
cero in epistolis: *quando te id video desiderare*. Vir-  
gilius: *quando hæc te cura remordet*, alibi Cicero: *qua*  
*quando complexus es, tene*.

G: verbis relaturum me gratias,

M : en observatorem latinæ proprietatis. quis  
unquam verbis rerulit gratias? an adhuc nescis,  
quod etiam trivialibus Grammatistis notissimum  
est? referre gratias esse factis , agere verbis , ha-  
bere animo? quod apertissime declarat Plancus

B

ad

To M. ANTONII MAJORAGII

ad Ciceronem scribens: *immortales tibi ago gratias, agamque dum vivam. nam relaturum me affirmare non possum. Tantis enim tuis officiis non videor mihi respondere posse.* ecce respondere officiis, & satisfare beneficiis, esse idem quod gratiam referre. ut interim sileam nos longe frequentius dicere refero gratiam, quam gratias. ausim enim affirmare nunquam apud Ciceronem inveniri, gratias referre, sed in singulari semper referre gratiam, exempla sunt infinita.

G: Nobilitatis gradum sustinendo non essem.

M: Euge Ciceroniane, quo enim te alio nomine appellerem? cum tam eleganter ac politè loquaris, ut in uno membro duos insignes solecismos committas? erigite quæso aures, auditores, ut novum eloquentiæ genus audiatis. Primo contra latinam consuetudinem dixit, sustinendo gradum, quoniam hæc, ut appellant Grammatici, gerundia, in definita, teste Valla, nunquam casum regunt, nam inepte dicitur: do operam legendo libros, sed legendis libris dicendum est. sicuti Cicero primo de officiis: *orationem autem latinam efficies profecto legendis nostris pleniorum.* non dixit legendo nostra. deinde quam absurdâ locutio, non essem sustinendo? pro non possem sustinere? quo genere dicendi

dicendi uteris etiam alibi : *cum dicendo non essem*. ego vero affirmo barbarum esse hoc dicendi genus non essem dicendo, pro non possem dicere, non essem sustinendo , pro non possem sustinere. Nam quamvis Cicero dicat: *cum civitates solvendo non essent*, tamen hoc unicum est , & alia quadam ratione dictum. neque unquam in aliis verbis eodem modo loquimur. postremo quis unquam dixit *sustinere gradum?* Solet Cicero dicere: *tenere gradum* & *servare gradum*, non sustinere. quod si diligenter adverteres unde metaphora ducta sit, non certe tam inepte locutus fuisses. Nemo enim sustinet gradum, sed sustinetur a gradu, unde dicimus etima de gradu dejicere. Cicero primo de officiis: *nec tumultuantem de gradu dejici*. Date huic in disciplinam liberos vestros, o cives, ut in uno membro bis peccare discant , & duplo reddantur stultiores, quam ad eum accesserint.

G: quando non omniibus dormiam.

Majoragius: dormio dicendum est, ut jam docuimus : Hoc autem videris ab historia sumplisse, nam uni soli Mæcenati dormiebat Galba , dum ille uxorem suam attrectaret , at tu vide ne pluribus dormias.

G: Qualecunque est, omne & dedico, & voveo.

B 2

M: impe,

12 M. ANTONII MAJORAGII

M: imperite atque oscitanter ordo perturbatus  
est, prius est enim vovere quam dedicare.

G: gratis mihi fue ris elargitus.

M: Quid hoc monstri est? est ne aliquis qui  
largiatur non gratis? quis non videt illud adver-  
bium gratis redundare?

G: Tuorum erga me præstitorum:

M: unde tam absoletum & barbarum vocabu-  
lum eruisti? atqui Cicero non præstitum, sed  
meritum aut beneficium dicere solet.

G: Dialogus ultra omnem festivitatem urba-  
nissimus.

M: Ncgo hanc latinam esse lectionem, non  
magis quam si quis diceret, Socratem ultra o-  
mnem Grammaticam fuisse sapientissimum. quod  
quidem dicendi genus esset absurdissimum, quam-  
vis Grammatica pars quædam esse sapientiae vi-  
deatur, ita quamvis festivitas pars quædam sit ur-  
banitatis, tamen insulse dicitur urbanissimu

- 

 ul-  
tra omnem festivitatem. præterea sæpe accidit, ut  
alia species sit urbanitas, alia festivitas, atque ita  
superlatio non erit inter ea quæ sint ejusdem for-  
mæ, quod vitiosum esse constat. Sed hæc acutio-  
ra sunt, quam ut ea tu possis intelligere. Itaque  
pinguius & crassius tecum agendum est. addo  
igitur

## A P O L O G I A.

igitur illud, post superlatum nomen, non inveniri, ultra, sed aliquando, supra, vel ante,

G: Secundum consuetudinem.

M: Vulgaris hæc est, & parum latina locutio, solet enim Cicero dicere, *pro consuetudine*, neque quisquam auctor paulo elegantior dixit. unquam secundum consuetudinem. Cicero pro Archia: *Qua de causa pro mea consuetudine breviter simpli- citerque dixi.*

G: Græca dictione Buleuterium.

M: Buleuterium apud Græcos locum habendi senatus significat, non autem quod Mediolanenses Broleum dicunt, in quo vinum, ac fruges vendi solent, quam dictiōnem existimo vel Gothicam vel Longobardicam esse.

G: Quam faustissimo, inquit, omne huc locorum pedem tetulimus? quæ hæc nobis illuxit dies?

M: In hunc errorem plane puerilem plusquam decies incidit in hoc Dialogo, ut quam pro quantum superlato nomini jungat, quod latinis auribus penitus inauditum est, nisi quando sequitur hoc verbum, possum, ut quam brevissime potero paucis absolvam. Quod si tam Vallam ac cæteros, Grammaticos legisset Merulus hic noster, quam ineptire didicit, profecto eum modestiorem haberemus.

14 M. ANTONII MAJORAGII

beremus. Nunc cum in Grammaticos s̄eviat vel potius insaniat, eos committit errores, ut ipse meritissimo versa vice sit a discipulis ferula plectendus.

G : quæ per quoscunque auctores sparsæ sunt.

Majoragius : Duobus in locis in hoc erratum lapsus est, ut quicunque dicat pro quisque, ut apertissimum sit eum non intelligere quomodo hæc inter senomina differant. Nam, quicunque, duo verba postulat, qui que uno contentum est. rursus, quicunque, significat, omnis qui, quisque tantum omnis.

G: Pro animi libidine lancinarem.

M: Cicero nusquam utitur hoc verbo lancinno. neque est quod mihi respondeas, te non curare, modo sit latinum. Ego vero, si tu non intelligis, causam ago meam, & doceo Ciceronis opera diligenter a me revolvi, a te vero penitus relegari.

G: In communem locum anno superiore abiit Gerardus.

Majoragius : In communem locum abiit, pro mortuus est, nimis dura locutio, quam Ciceroniani candoris amatoribus probare non poteris.

G: Facundia instructus.

M: apud Ciceronem facundia non reperitur.

G:

G: Literarum politia.

M: Miror sane non mediocriter, tantam esse tuam Gaudenti dementiam, ut cum intelligas à latina puritate longissime te abesse, tamen inter elegantes haberi velis, ac Ciceronianus appellari, cum nullum omnino verborum delectum habeas. nam politia pro elegantia, vel candore dicendi, barbarum est vocabulum. sed cum Græcum est, tunc politia Rempub: significat, ut Cicero : *in Politia Platonis.*

G: pervagatis his quę vocant humanitatis studiis.

M: video quid agas Merula. vis ut scripta tua sint æterna, idcirco pellis Ciceronem, ut te patrem habeamus eloquentiar. Sed dic mihi quid significat pervagatis his studiis? non enim hoc grammaticæ novum ego genus agnosco, pervagatum enim apud Ciceronem idem est, quod per vulgatum & celebratum, de Inventione libro 1. *Hæc causa apud Græcos pervagata est.* pro Plancio: *desinamus, aliquando vulgari & pervagata declamatione contendere.* de Orat. 2. *Maxime est hoc commune vitium, & pervagatum.* pro Marcello: *gloria est illustris ac pervagata multorum & magnorum, vel in suos cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum fama meritorū.* Sed quid exemplis opus est, quę sunt innumerabilia? cum nunquam aliter accipiat  
Cicero?

Cicero? præterquam cum in activa significatione capitur, tunc enim fere idem est quod peragrare. ut in Verrem Actione 7: *Hic te prætore prædonum naviculæ pervagatae sunt.* Sed tu nimirum deceptus es, quoniam idem esse credebas pervagatus, quod peragratus, cum magna sit inter eas dictiones differentia. quod si dixisses peragratis his studiis, nemo reprehendere potuisset. habes igitur mirificam latebram in quam te conjicias, si dixeris accidisse librariorum culpa, qui pro peragratis, scripserint pervagatis. quod tunc demum crederemus, si solus hic esset a te commissus error, sed cum plurimi sint ejus generis errores ut excusari nullo modo possint, non est quod speres in librarios te culpam posse rejicere, cum præsertim tu semper adfueris, dum typis liber excluderetur. ergo tuæ sunt hæc dicendi venieres, tua Myrothecia.

G: Consumati eruditio[n]e viri.

M: apud Ciceronem consumatus non reperitur.

G: Et si ætas mea me ad hæc dijudicanda minimè sit idonea :

M: Audite audite novum Tullium ex foro Lebetiorum. qui novas configit verborum consecutiones. Sed expectandæ sunt ejus institutiones Grammaticæ quæ nos hoc mirum constructionis genus edoceant. Nam quis construat hæc: ætas mea

mea minime sit idonea me ad hæc dijudicanda.  
Cujus farinx est etiam illud quod sequitur super-  
latum nomen.

G: diversissima esse videam.

M: Nam apud nos qui Cicerone duce milita-  
mus diversus neque comparativum habet, neque  
superlativum. sed ea cum opus est supplemus, per  
hæc adverbia magis longe, maxime, & similia.  
Cicero in Topicis: *longe diversa est illa disputandi ratio.*  
De somnio Scipionis: *duo illa maxime inter se diversa sunt.*  
pro lege Manilia; *ut cum duobus in locis disjunctissimis  
maximeque diversis. In Philippicis: Caesaris longissime di-  
versa ratio est.* Ubi vero tu diversissima repereris ne-  
scio, nisi forte in Arcadia; ubi Metulae dicuntur  
esse candidæ, cum apud nos omnes nigras, nec sa-  
tis boni saporis esse videamus.

G: Non possum non adduci, opus illud e fama;  
lia Ciceronis non esse.

M: Hæc imperfecta est locutio, nec ullus ex  
ea sensus erui potest, nisi quis addat, ut credam,  
vel ut existimem: *Quod vero me dixi illud Ovidii  
carmen immutasse.*

vix Priamus tanti totaque Troja fuit.  
et pro illo ex recentiori codice reposuisse hoc  
vix Priami tanti totaque Troja fuit, vel vix non. O

C menti-

Mentiris impudentissime, neque enim tecum sum unquam ego de hac re locutus, quamvis non inficias iverim eam me lectionem agnoscere & approbare. Quod autem irrides ejus carminis emendationem hanc : *vis Priami tanti, totaque Troja ruit.* Omnino te judicio carere penitus ostendis. Nam & sensus est pulcherrimus, & vir eximius **Franciscus Minicius Calvus**, multis de causis mihi amicissimus, atque in his rebus exercitatissimus, mihi jurejurando affirmavit, se ita in antiquissimo volumine scriptum legisse. multisque eruditissimis viris eam lectionem exposuisse, quam cum audivissent illi, miro statim aplausu subsecuti fuerint, atque approbarint. & mihi certe nullus alius videtur sensus huic loco magis convenire. declarat enim & amplificat Penelope, quod dixerat : *Troja jacet certe, ut sit sensus, nulla tibi amplius excusatio relictæ est Ulysses*, quin in patriam revertaris. Nam certe Troja quam Græcorum puellæ majorem in modum odere, prostrata est, ea, inquam, vis, id robur, ea fortitudo tam potentis ac magni regis Priami una cum tota Troja ruit, atque eversa est, nihil est quod amplius te remoretur. En quam apertus sensus, quam facilis, quam Ovidianæ locutioni consentaneus? est enim ubique

que sui similis Ovidius, planus, facilis, copiosus, non contortus aut durus. nam si quis legat, vix Priamus tanti totaque Troja fuit, quis non statim videt eam facilitatem immutari? & locutionem longe fieri duriorem? gignique obscuritatem minime Ovidio dignam? Quare non ita facile repellenda est antiqua lectio cum praesertim optimo quadrare videatur? Tu vero non alicet atque sues amaracum unde gratissimus odor afflatur, ita vetustos codices aspernaris, audesque etiam eos reprehendere qui diligentius antiqua volumina perquirentes librariorum errores emendare conantur. O cœnum hominis, a stuporem incredibilem. adeo ne te hebetem esse, ut non videoas quibus maledicas viris? quis unquam fuit paulo eruditior, quam omni studio vetustiores libros quæsierit, ut ex eis aliquid in recentioribus castigaret longum esset enumerare Politianos, Hermolaos, Alciatos, Naugerios, Egnatios, Mantios, Pierrios, Victorios, innumerabilesque alios, qui in hac re maxime laborarunt, ut ex antiquis Codicibus quamplurimos in auctoribus locos emendantent. ergo quod eruditissimis viris semper placuit, id quia Gaudentio Merulo displicerat circa repudibimus? ergo unius impertissimi atque audacissimi

C 2

ne-

20 M. ANTONII MAJORAGII

Nebulonis sententiam potiusquam excellentissimorum hominum autoritatem sequemur? minime vero, valeant potius neniae tuæ pueriles, nos enim doctiorum sententiae & auctoritati semper adhærebimus.

G: Non ulterius prospicientes.

M: in Ciceronis libris ulterius nusquam legitur, sed pro eo longius.

Quid nam dicam de Ansonii versibus? quos cum emendare velit, turpissime depravat? hoc loco certe miseram auctorum sortem deplorarem, quia tales emendatores inveniant: sed vereor, ne in me Gaudentius hic asperrimus, ut verbis utar Horatii, parata tollat cornua. Nam illum audire fecit in me suam ostentare, velleque mihi dicam grandem scribere, quod de superiori eloquio vobis abundantibus ostendere velim, eum esse mentitum. Ait enim poënam ingentem a principibus nostris esse constitutam, qui aliquem mentiri dixerint. Itaque ego toto corpore perhorresco, ne rei capitalis in eum agat. Quid igitur faciam? non persequar ejus mirificum acumen, & ingenium in purgandis auctoribus explicare? quid mihi estis auctores vos eruditissimi Juvenes? non me latet sèluscus vester. Scitis in his rebus nullū esse periculum, nostras de-

do-

doctrina tantum esse contentiones , quibus rerum capitalium judicia non admiscentur. Cum præser-tim verba pro verbis reddi possint , & ille superior si futurus , qui erit doctior . desinat igitur has ineptias persequi & capitale judicium intentare , sed illud ostendat siquo modo potest , se non errasse , tunc illum eruditum virum existimabo . Interim nolo pati maculam eam dintius in elegantissimis Auso-nii versibus insidere , dico igitur longe melius ita legi : *Fercula gemmatis cum poneret aurea vasis.* quemad-modum passim in vulgatis codicibus legitur , quā Fercula damnatis , ut iste corrigere voluit . sole-bat enim Agathocles (ut in historiis legimus ,) vas Samia , & pocula fictilia , juxta aurea ponere , ea-que juvenibus ostendere , ac dicere : cum hæc ante-a facere solerem , commonistratis fictilibus , fuerat enim figuli filius , nunc per vigilantiam & fortitudinem talia facio , & commonistrabat aurea . Pulcherrime igitur Ansonii barmina ita se habent . *Fama est fictilibus cœnasse Agathocleare gem*

*Atque abacum Sami sepe onerasse luto ,*  
*Fercula gemmatis cum poneret aurea vasis*

*Et misceret opes pauperiemque simul :*  
*Quærenti causam respondit , Rex ego qui sum :*  
*Sicaniæ , figulo sum genitore satus .*

22 M. ANTONII MAJORAGII

*Fortunam reverenter habe quicunque repente  
Dives ab exili progredi loco.*

Nām onerare mensam fictilibus & famio luto,  
& ponere fercula gemmatis vasis, quis non vi-  
det esse, miscere opes pauperiemque simul?

Quin etiam illud Catulli endecasyllabum vi-  
tiat.

*O qui floscibus es juvencolorum,  
Nam ipse nulla penitus ratione legit juvencorum,  
nam quamvis Plinius juvenes gallinas, juvencas di-  
xerit, quae ratio erat, ut Catullus juvencorem  
diceret? at juvenculus, a juvenco facile deflecti-  
tur. sed ad reliquas ejus elegantias revertemur.*

G: Plautinizabo ego ne an potius talionizabo?

M: Quid est quæsto Merula quod nobis verbo-  
rum portenta fingas? nam Plautinizabo quamvis  
sit absurdum tamen facile patimur, quoniam e-  
tiam patrizare dixit Terentius, hoc est patris mo-  
res imitari, sed dic obsecro mihi per Mercurii fi-  
lium, quid sibi vult talionizabo? ego quidem  
quid talio significet scio, nizabo quid sit non in-  
telligo.

G: de tam sacrosancto Comico male audias.

M: Imperitissime omnino male audias di-  
xisti hoc loco pro male sentias. nam male audire

Ciceroni

Ciceroni idem est, quod improbari ac vituperari. sicuti bene audire est laudari. quas tu lecythos certe Merle non intelligis. obstructas enim aures habes ad omnem elegantiam. Cicero in Tusculanis: *erat surda ster M. Crassus, sed aliud molestius quod male audiebat.* De finibus bonorum & malorum. *Est hominis ingenui velle bene audire ab omnibus.*

G: Sed dic amabo, ne tu etiam ex Terentianorum es cohorte?

M: Defende si potes, quin hic pueriliter peccaveris. ponis enim, ne, conjunctionem quam vocant encleticam initio clausulæ, quod non tanquam exemplo caret, sed etiam ratione.

G: Nimirum Batalee si cum tophis rixaris.

M: Si pro dignitate tua te recipere Merula, clamare singulis in locis oporterer, re imperium, barbarum, insulsum, ineptum, sed non faciam. potius modestiæ meæ consulam, quam te secundum virtutes tuas laudem. satis est quod omnes intelligent, te talem esse, qualem modo depinximus: nam hoc loco declaras apertissime te nescire quid hoc vocabulum nimirum, & Ciceroni, & Terentio usitatum, significet. Disce igitur si potes hoc tempore, maxime barbatus, quæ puer aut neglexisti, aut nunquam intelligisti: Nam a Cicerone

&

& Terentio, nimirum pro certe, vel nempe solet usurpari. ut in Verrem : *is est nimirum foter, qui salutem dedit.* De oratore libro, 1. Sed nimirum majus est hoc quiddam quam homines opinantur. Terentius : *nimirum hic homines frigent, tu vero tam stupidus es in literis, ut existimes nimirum idem esse, quod nimirum.*

G: Contortuplicata oratio.

M: Rancidum hoc & putridum est vocabulum.

G: Quam optime latine lingue consultum foret.

M: si inter discipulos meos, qui plerique festivi sunt, & ingeniosi versareris, opinor aut diligenterius cogitares quomodo latine loquendum esset, aut centies in die supplosionibus & sibilis expoldereris, non enim tibi quam optime, sed quam bene dicendum fuit, quoniam quam pro qualiterum nisi sequatur possum, semper positivo jungitur. Sed, ut arbitror, ideo tu deciperis quoniam saepenumero quam superlativo jungitur. Neque intelligis tunc non significare quantum sed multo vel longe. Ut Cicero in epistolis : *ut ex hac commendatione mihi Cuspius quam primum, quam saepissime gratias agat.* Et de somnio Scipionis : *quam maxime se a corpore abstrahere.* Sed quam pro quantum semperpositivo, ut primo de Nat: Deorum : *Quam multas ante hunc*

*hunc Pisistratus pœnas sustulit?* in epistolis. *Te igitur imitaror, quam multa? quam paucis?* in epistolis ad Pætum. *Liberis dare operam quam honeste dicitur?* quoties vero copulantur tam & quam possunt etiam superlativo jungi, quod in separatis non accidit. Salustius: *quam quisque pessime facit.* tam maxime tutus est. Terentius: *Adolescens, quam minima in spe situs erit,* tam facilime patris pacem in leges conficit suas. Verum eo modo quo tu uteris dico nusquam apud bonos autores inveniri, penitusque barbarum esse, magnamque ignorantiam tuam declarare.

G: Hæc tua dementia ellebori jugere non potest obtinerier.

M: Nō me fugit hoc ad imitationē Plauti dictum esse, qui ait, *hæc res ellebori jugere non potest obtinerier,* sed tamen ineptias tuas non possum non reprehendere, primo quod Ciceronis locutionem negligas, plautina quedā affectes vel carmina vel vocabula, quæ pleraque sunt aut nimis antiqua, aut poetica, aut obsoleta aut etiam sæpe inepta. multis enim in locis ab eruditis viris Plautus improbat. deinde, quod caput est, eadē illa vities. Nam quamvis recte fortasse dixerit Plautus, *hæc res ellebori jugere non potest obtinerier,* non tamen convenit hoc, quod tu dicas, hæc tua dementia ellebori jugere non potest

D obti-

26. M. ANTONII MAJORAGII

obtinet nos enim accepimus dementiam esse  
hora purgari, non obtineri.

G: Scis ne solum Ciceroni placuisse Teren-  
tium?

M: Unde hoc habes quod solus Terentius Ci-  
ceroni placuerit? cur igitur primo officiorum  
Plauti facetias probat? cur plurimis in locis En-  
nium laudat? cur Accium? cur Paenitium? cur  
Lucilius? cuius Statuum Cæcilium Mediolanen-  
sem, quem multo magis familiarem habere vide-  
batur, quam Terentium? Quid præterea de Græ-  
cis Poetis dicam? quos omnes, qui fuerunt alicu-  
jus nominis, familiarissimos habuit?

G: Huic si potes Pompei Brascæ respondeto.

M: Quæ te larvæ exagitant Miselle Merle, ut  
Grammaticam professus, omnibus in locis sum-  
mam ostentes ignorantiam? cur Piladem insecta-  
ris, qui tibi posset utilissimus esse, si ejus institutio-  
nes perlegeres, quibus non minus indiges, quam  
octavum annum agentes pueri, nam si apud eum  
hoc carmen annotasses: *A propriis in iis quintum*  
*facis us removendo nunquam in tam perspicuum*  
*errorem incidisses, ut in vocandi casu dices*  
*Pompe, sed potius cum Cicerone dices, utinam*  
*Pompei aut nunquam affinitatem cum Cesare invises, aut*  
*nunquam diremises.*

G: Fo-

G: Fodere aut arare aut aliquid setre denique,

M: Vituperas hoc loco Cicero hem; quod Terentii carmen perverse citarit, & quod huic carmini, denique, adjinxerit, quæ dictio sequenti potius carimihi viderur conjungi debere. Sed tu nimirum ostendis te penitus rationem carminum ignorare. an non vides Barto versum hunc esse scutarium jambicum? qui non aliter constare potest, nisi addatur denique?

G: Quid fingi potest durus hac dicendi apud Ciceronem figura? facere contumeliam dicimus, non contumelias.

M: Tu vero passim tui similis es, hoc est habes, ac negligens. nam hoc genere dicendi non titur Cicero, neque enim unquam apud illum inveneries, facere contumeliam. quippe qui M. Antonium reprehendat quod ita dixisset, his quidem verbis: *Quid est porro facere contumeliam? quis sic loquitur?* quod antem censes in plurali tantum contumelias reperi, non in singulati contumeliam, plane multis exemplis probati potest te cœcum amentia ferri. nominatum vero pro Sylla sic ait Cicero: *equidem vehementer latet eum esse me in quem cum cuperes nullam contumeliam jacere potueris.*

G: Præterea quam apertissimus est Terentii æmulator?

D 2

M: Jam

## 28. M. ANTONII MAJORAGII

M: Jam tertio in errorem hunc puerilem incidi-  
sti, ut quam pro quantum superlativo jungeres.

G: Quæ ex Terentio decerpst.

M: Creditis ne fortasse Juvenes tantum inesse  
Gaudentio Merulæ diligentia atque industria, ut  
ipse Ciceronem vel Terentium legeſit, & ea nota-  
rit quæ ad imitationem Terentii dixit Cicero? ni-  
mium illi tribuitis, siquidem hoc creditis. Sed cum  
jam plurimis vestrum notissimum esse sciam, quā  
libenter Æsopicam corniculam imitetur, & alien-  
nis se plumis induat, non dubito quin etiam facile  
credatis, quæ dicturus sum. nempe hos omnes lo-  
cos, in quibus Ciceronem cum Terentio, Teren-  
tium cum Plauto comparat, aliena industria con-  
gregatos impudentissime sibi Merulam attribuisse,  
Quod si quis vestrum mihi non eredit, legat ea quæ  
Joachimus Camerarius, in primum librum Tuscu-  
lanarum quætionum doctissime commetatus est,  
ibi reperiuntur hæc omnia, quæ bonus hic pastor  
Gaudentius ad verbum in Dialogum suum tradu-  
xit, & temeritatem fustibus coercendam. Tu nei-  
gitur quod ego magnis vigiliis & laboribus obser-  
vavi, mihi surripies? tuum esse dices? Pro Dii im-  
mortales, quid igitur est committere sacrilegium,  
si hoc non est? nam lucubrationes suas eruditiviri  
suis

suis nominibus inscriptas Musis consecrant, eas  
quicunque privatum in usum, aut gloriam vertit,  
is sacrilegus sit necesse est. neque est quod excusare  
possis, ita casu accidisse, ut quæ Camerarius nota-  
verat, etiam tu notares, cum quatuor pagellas in-  
tegras ad verbum transcripseris. Sed hoc apud te  
novum non est. in hac arte latrocinandi vetus es ac  
nobilis gladiator. Nam & ea quæ vir satis eruditus  
Bernardinus Merula in Vitruvium commentatus  
erat, tibi asscrispisti. multisque nugis additis, jacta-  
bas te justa in Vitruvium commentaria conscrip-  
sisse. quod cum Bibliopolæ cuidam omnium lite-  
rarum ignaro persuasissem, aureos ab eo plusquam  
quinquaginta recepisti. donec tandem detectis  
dolis tuis, non sine summa ignominia repulsus  
es. Scis ne me de rebus mihi notissimis verba face-  
re? Quid in eo volumine in quo de Galliæ Cisal-  
pinæ rebus antiquis tractas? nomine siquid est bo-  
ni, id totum Alciato nostro surripuisti? Nam  
cum ille vere divinus vir, præter cætera mul-  
ta omni disciplinarum genere referta opera, u-  
num etiam de antiquitatibus opus conscripsisset,  
ex eo tu quicquid ad rem tuam faciebat,  
surripuisti, quam quidem iujuriam ille jam-  
pridem vindicasset, nisi tantum virum pudere,

D 3

contra

contra barbarum et rivo literatorem certamen suscipere. observeatur igitur hominem summam industria, Juvenes, qui tanquam fucus quidam ignavus alienis semper laboribus infidet.

G: Alii scopam dicit, iuitam;

M: O miram hominis diligentiam, quid ait? erantne Ciceronis ætate etiam aliqui Gaudentii Merulæ, qui sine lege ac ratione loquerentur? quis apud antiquos legit unquam scopam dissolutam? nos vero numero multitudinis semper hoc nomen apud antiquos legimus. Cicero ad Atticum libro 7. non ad homines sed ad scopas dissolutas. in oratore. scopas, ut ita dicam, videntur dissolvere. Tu vero cur non profers cum qui sit usus hoc sollicitus? sed nimis tu ex te ipso tanquam araneus fingis, neque quisquam unquam ita locutus est ut scopam dissolutam diceret.

G: Judiciorum malignitas.

M: Malignitas non est Ciceronis vocabulum ipse potius malitiam dicere solet.

G: Ciceroni calumniando.

M: Arrigite quæso aures, Auditores, & ne vos pigcat hos tam lepidos flosculos excerpere. dicat aliquis mihi vestrum; quot hæc sunt verba: Ciceroni calumniando? scio vos intelligere duo tantum

tum esse. quid si vobis ostendero duos in duobus verbis esse solacismos? quid vultis amplius? attendite igitur. primum dico hæc gerundia in do, casum post se non admittere, quod etiam superius annotavimus, non potest ergo dici, Ciceroni calumniando. deinde nemini dubium est quin calumpnior accusativum postulet, non dativum. Cicerone in epistolis *quod ante aetate calumniatus sum, indicabo malitiam meam.* & alibi, *sed calumniabor ipse me.*

G: At scio, ex vobis aliquis dicet, non placuerre ista Martiali, respondebo & ego sua non arri-dere omnibus. & esse in carminibus suis quod ipse ait.

M: Nihil hac locutione magis barbarum est; quod si Laurentii Vallæ opusculum de his pronominibus, sui & suus, legisses, facile tuum errorem intelligeres, ubi enim tu sua, & suis dixisti, ejus, potius erat dicendum, cum nulla sit in his verbis reciprocatio.

G: Sentiant igitur uniuersitate quod velint.

M: Volo Auditores, ut Academiam aliquam novam constituamus, & hunc nostrum Gauden-tium illi præficiamus, quoniam est autor satis probatus. utitur enim ea licentia, quam nulli unquam veteres habuerunt. dicat enim mihi, ubi uni-

uniquique repererit apud antiquos? dicitur quidem unusquisque sed numero multitudinis caret.

G: Ausim tamen illud affirmare, ante eum facile poetas omnes superasse.

M: Hic primo amphibologia puerilis est, & inepta, deinde, quam insulsa locutio: *poëtas ante eum.* pro, poëtas qui eum ætate præcesserunt?

G: Tametsi ego dicendo essem.

M: Hanc non esse latinam locutionem jam superius ostendimus. Quid Gaudentius? videt scilicet diligentiam nostram. quid mihi, inquit, cum tam accurato dicendi genere, satis est quod hic mihi Dialogus ingens munus acquisivit, acquirat Majoragius suis scriptis tot agri jugera, quot ego Terentiano meo, deinde mecum e loco superiore contendat. At ego tibi contra respondeo Merula, me nescire, utrum illa quæ jactas agri jugera Dialogus tuus, an aliquid aliud, quod dicere nolo, tibi acquisierit, me vero pluris honorem ac bonam existimationem facere quam sexcenta prædia.

G: Cum iis barbaris versificatoribus.

M: *Loripedem rectus derideat, Æthiopem albus,* inquit Juvenalis, cur enim alios barbaros appellas, cum tu nihil nisi barbariem spires? Quis enim latinus ita locutus est unquam, ut diceret versificari, aut

aut versificatores, annon hoc ex barbarorum coluvione natum est? qualecunque est hoc, auctoritati tua, quam barba tenuis obtines, facile concedimus, illud vero quis est tam facilis, ut tibi possit concedere?

G: Stercora dixissem nisi orexim in vobis exercitari timuissem.

M: Noli quæso te, Merula, dictiones eas indagare quarum significata non intelligis, nihil enim proficies cum a barbaria tua discesseris. Nam quis hoc loco non videt ignorantiam tuam? qui orexim pro nausea posueris? cum sint inter se maxime diversa? nam orexis vehementiorem appetitum vescendi significat, ut Juvenalis: *de quo sextarius alter Dicitur ante cibum rabidam facturus orexim.*

G: Hæc obiter dixi.

M: Obiter rejicitur a Ciceroniana schola.

G: Sed cibo viriliore.

M: Dolebam aliquando Juvenes, & vehementer angebar, cum latinam linguam tam inopem esse viderem, Græcam vero copiosissimam, sed postquam hujus generis auctores exoriuntur, & in lucé producent, non est quod amplius doleamus. augere enim mirifice pro virili sua latinam locutione Gaudentius noster. Nam cum apud latinos virilis neq;

E

com-

34 M. ANTONII MAJORAGII

comparativum habeat neque superlativum ipse tanquam alter Pythagoras dixit: viriliore cibo. Itaque expectamus etiam alterum opus, in quo dicat, virilissimum. interim accipite quod datur, ac fruimini. Sed excitate obsecro vos, & purgate mentem. si quis etiam vestrum despovere vult, licet, ut deinde tranquillius audiat. nam pulcherrima quædam elegancia, & mirificum dicendi genus sequitur.

G: Nunc demum te laudo Galeati Mirabilie.

M: Ubi sunt, qui dicunt, Gaudentium amplificatorem non esse latinæ locutionis? potest ne vos pigere Juvenes tam diutinæ sessionis? cum res tam conditas tam reconditas, tam a vulgari consuetudine remotas, a Gaudentio nostro perdiscatis? notate igitur etiam hunc flosculum; eadem enim ratione dixit hoc loco Mirabilie qua superius dixerat etiam Pompee.

G: Maledicentiaz virus.

M: Cicero non solet uti maledicentiez vocabulo.

G: Hujusmodi decrepitatis mancipium.

M: Decrepitus quidem apud Tullium legitur, sed decrepitas, pro senio, atque ætate ultima nusquam inveniri potu.

G: Carinen fuerit extemporañum.

M: Qui

M : Qui latinæ locutioni student, necesse est ut  
in primis delectum verborum diligenter habeant,  
ne quam dictiōnem admittant, quæ non apud o-  
mnium eruditorum consensu probatos auctores  
inveniatur: recte enim Cæsar dixisse fertur, *magis  
vitandum esse verbum insolens & inusitatum, quam in mari  
scopulum.* deinde ut verborum consecutionem ser-  
vent, quorum cum neutrum Merula præstet, a do-  
ctorum commercio repellendus est. non enim la-  
tini dicunt extemporaneum. sed vel ex tempore fa-  
ctum, ut Cicero semper, aut extemporale, ut Quinti-  
lianuſ aliquando. Sed gratulemur huic ætati no-  
stræ, prodeunt novi auctores, qui nos & loqui, &  
studere doceant. est enim quidam satis arrogans  
& loquax literator, qui nobis opus de ratione stu-  
dii promittat. ô; miram codicum fæcunditatem,  
opus (inquam) ipsius auctoris testimonio varia  
supellecstile refertum, elegans & perutile. Quid  
multa, superabit hoc Gaudentianum opus. Quic-  
quid enim gravissimus auctor Albertus Bossius,  
quicquid Donatus, quicquid Alexander de Villa,  
*Catholicon*, & Papias inclytis literarum monu-  
mentis mandarunt, id totum congestum est bre-  
viter in hoc vario, multipli, diserto opere de  
ratione studii, ut non injuria possit appellari,

E 2

quod

quod Mediolanenses nostri vulgo dieunt, Divæ conchæ ferculum. atque ut facilius credatis juro per Pythagoræ manes ita esse. Interim audite Merulæ nostri elegantias.

G: Contumelia Terentio factum itur.

M: Mira est inconstantia Gaudenti tua, nam pauci ante dixeras contumelias in plurali tantum dici, nunc uteris singulari. Sed hoc bene. Illud vero quo auctore dicis: contumelia factum itur? num Cicerone? num Terentio? at qui nondū ego genus hoc eloquentiæ notare potui. quin etiam illa vocabula quæ sequuntur non ita multo post, quis nescit esse barbara? Materialem, Finalem, formalem causam? ut interim sileam nulla ratione extra propositum esse adducta. quod quivis facile videt.

G: Suspensa, quod ajunt, manu legeres.

M: Hoc vero est, quod tibi palmarium afferet Merula, si nova etiam proverbii sensa dederis. perge porro felici auspicio, quocepisti. Nomen enim tuum his rationibus æternæ hominum memoriaræ consecrabis, & cum Novariam in patriam tuam concesseris, omnes te cerdones divinis laudibus exornabunt. Et merito, cum tam ingeniosus esse velis, ut contra nobilium auctorum sententiam passimire non dubites. Nam cum Plinius *suspensa*  
*manu*

*manu* dixerit, pro eo quod est, nèligét er, parumq; accurate: tu pro eo quod est diligentissime, atque accuratissime posuisti, quod aperte declarant hæc tua verba: *Hujusmodi errores tu quoq; Belluine, animadverteres, si singula verba suspensa quod ajunt, manu legeres.* Hæc igitur cum nos legimus, majorē in modū tuum acutien suspicimus, & cogitamus nullo modo fieri posse, quin discipuli tui brevissimo tépore doctissimi fiant, cum eos tā eleganter instituas, ut non àuctorū sensa, sed tua illis somnia frequenter inculces.

G: Qui Abecedarius est.

M: Dii tibi dent tuā mentē, qui sordidis & contaminatis vocabulis inquinas omnia. quod enim hoc genus est novæ dictio[n]is, quod non solum a latina cōsuetudine, verū etiā a politis auribus abhorreat?

G: Sed ad reliquam expostulationis partem transeamus.

M: Non libet mihi s̄epius exclamare, ne Tragœdiā in nugis agere videar. Sed tamen mi Gaudenti, quod dicendum inter nos sit, nimium es nèligens. Nam duobus in locis expostulationem accipis pro criminatione vel accusatione, qua solemus aliorū vitia vel errores insectari, quod omni penitus ratione caret. Nā apud Ciceronē & reliquos bonos autores, ex postulatio significat, repetitionē

38 M. ANTONII MAJORAGII

quandam officii cum querela, ut cum amicōs nos  
stros querimur officio suo defuisse, neque erga nos  
se gessisse quemadmodum oportebat. Tunc enim  
expostulamus officium eorum, tunc eos accusa-  
mus, tunc de illis conquerimur, atque ita semper  
utitur hac dictione Cicero.

G: Tanto te magis laudo; quanto tuum admi-  
ror ingenium.

M: Mutila hæc est clausula & barbara nisi post  
quanto addatur magis.

G: Quoties mihi per sancta sanctorum jurare  
soles ne liminarem quidem Terentii pagellam,  
non lectum sed a te ne quidem tactum, aut visum  
fuisse.

M: In hac periodo duæ sunt novæ exornationes  
Rheticæ, quas diligenter advertere debetis.  
Nam primo docet vos genus immutare, non aliter  
atque fecit olim Cæneus, qui de fœmina versus est  
in masculum a Neptuno. Sed per incuriam credo,  
cum infantulum sum, ut audio, si tu gestaret,  
scripsit liminarem pagellam lectum, tactum, vi-  
sum. Deinde quis non admiretur hanc orationis  
venustatem? ne liminarem quidem Terentii pa-  
gellam non lectum, sed a te ne quidem tactum.  
quomodo convenire possunt adverbia illa, ne;  
non,

non ne. Nos qui tam politi non sumus, ita potius dixsemus: non solum liminarem Terentii pagellam, non a te lectam, sed ne tactam quidem: vel hoc modo: ne liminarem quidem Terentii pagellam a te tactam aut visam, nedum lectam fuisse. Sic enim erui sensus aliquis posset, sed eo modo quo tu protulisti nec sensus ullus est, nec sine barbaria locutio.

G: Redundans & plane superflua locutio.

M: Cicero nunquam dixit superfluum, sed vel supervacuum, vel supervacaneum.

G: Quinte Quadrigarie.

M: Videte quam sit constans Merula noster, jam tres hujusmodi vocandi casus extulit, nam primo non sine summa admiratione audivisti, Pompee. deinde quanta vos affecit laetitia cum dixit Mirabilie? nunc omnino decet vos exultare, cum audiatis, Q. Quadrigarie. Nam, ut arbitror, novas Grammaticæ molitur institutiones, quibus nos Mediolanenses doceat supplicationes veteres, quas litanias vocant, immutare, & sonantiori quadam voce invocare: Sancte Ambrosie. Nescio quem Divum colat Novaria. fortasse solent in ea civitate clamare omnes: Sancte Gaudentie. Sed tamen amoto queramus seria ludo.

G: Vides

G: Vides ne quam turpissime tuus lapsus sit  
Terentius?

M: Vides ne tu, Gaudenti, quam imperite,  
quam pro quantum jungas superlativo, quod  
nunquam fieri admonuimus nisi sequatur hoc  
verbum possum, ut Cicero de Divinatione, expo-  
sui quam brevissime potui oracula. In epistolis: *Quam po-*  
*tui maximis itineribus ad Amanum veni.* pro Cluentio,  
*Tum appellat hominem quam mollissime potest.* pro Domo  
sua, dico igitur, & quam possum maxima voce dico, sed ex-  
empla sunt infinita. quoties vero non sequitur pos-  
sum, quam pro quantum nunquam superlativo  
jungitur.

G: Alga projecta viliorem, atque incruditam  
magis.

M: Quænam hæc est comparatio? quam in-  
sulta? quam consuetudini refractaria? magis in-  
cruditam alga projecta. quis non videt ineptissime  
dictum?

G: Transfretato Ticino.

M: Scio quid fecerit Merula: studuit vitæ scho-  
lasticæ in qua est hoc carmen: *Transfretet ad portus*  
*navis ut ista suos.* nam apud Ciceronem transfreto  
non legitur. Sed pro eo, transmitto, vel transpor-  
to. verum ut concedamus, transfreto esse latinum,  
quo-

quoniam eo Plinius est usus, quam imperite dicitur? transfretato Ticino? est enim transfretare, fretum, hoc est angustias maris transire, atqui Ticinus non est mare, neque fretum.

G: Ut interdicti essent aqua & igni.

M: Papæ quam eleganter, nunquam hoc genus elegantia novit Cicero, dicimus enim: interdico tibi aqua & igni. non interdico te. quæ locutio cum in passivum vertitur, ita proferri solet, ut persona, cui interdictum fuit, semper in dative ponatur, nunquam in nominativo. nemo enim latine diceret, tu interdictus es aqua & igni. Sed potius, interdictum est tibi aqua & igni, vel aqua & ignis interdictus est tibi. Cicero in epistolis: *Futurum puto, ut aqua & igni nobis interdicatur, pro Domo sua, ut mihi aqua & ignis interdiceretur, sed exempla passim apud Ciceronem, & alios auctores obvia sunt.*

G: Imo regiam Tyrannidem affectabat.

M: Est ne etiam aliqua Tyrannis quæ non sit regia? dicimus quidem eleganter regium dominatum, sed regiam Tyrannidem nemo nisi tui similis dixerit.

G: Hoc Afro quid amplius opus, homo sine re, sine venere?

M: Si te in disciplinam alicui plagoſo, ut Horatiano

42 M. ANTONII MAJORAGII

tiano vocabulo utar, *ludi magistro dederimus Merula*, vñ natibus tuis. quis enim ferat discipulum suum hoc uti dicendi genere: quid opus est hoc Afro homo sine venere?

G: Latinitatis assertor.

M: Assertor nusquam in Cicerone legitur, nec me fugit esse latinum vocabulum, sed doceo me Ciceronis esse studiosum, neque illum meo iudicio condemnari; sicuti neque *junctura* est apud Ciceronem, quamvis Horatius utatur.

G: Hunc ego quoniam quam lectorum ingenia sustinebant intonat.

M: Hic nullus omnino sensus est, nisi quis addat gravius vel altius, ut sit, gravius intonat.

G: Hic est ille de quo prophetatus est Ennius.

M: Mihi videris in tuis operibus, Gaudenti, asinorum similis esse, atque eorum mores imitari, quos, ut scribit Aristoteles, dicere solebat Heraclitus, stramenta malle quam aurum. propterea quod asinus etiam vile pabulum longe jucundius sit, quam aurum. eadem tu ratione, cum a Cicero ne possis elegantissima ac vere aurea verba sumere, mavis e fece barbarorum haurire. quis enim Latinus auctor dixit unquam prophetatus est? at qui Tullius in eadem significatione dixisset *vaticinatus* est.

G: Mi-

G: Mirus enim plaudentium consensus est assecutus.

M: Hunc errorem ter aut quater commisisti. cum dicendum potius fuisset, subsecutus. non enim dicimus, hæc res assecuta est me, sed contra potius, ego hanc rem sum assecutus.

G: Adimpletum est, quod prædictum fuit.

M: Nullus est locus in quo non expressa tuæ barbariæ signa videantur. nam adimpletum est, aures latinæ respuunt, dicemus potius, factum est, vel verum habuit exitum.

G: Ac si parenticidæ.

M: Nescio quæ te agitent furia, ut cum ityllum affecet & Cicerone penitus alienum, tamen velis Ciceronianus videri. cum enim Cicero parentidas passim dicat, cur tu potius parenticidas?

G: In cuius stylobate, & paulo inferius sub stylobate.

M: Est ne hic qui in Vitruvium commentaria panxit, qui nesciat adhuc quid stylobata significet? quis enim unquam audivit, statuarum stylobatas dici? qui tantum columnarum sunt? nam parietes qui subjiciuntur columnis & onera excipiunt stereobatæ nuncupantur; quibus mox superponuntur stylobatæ, supra quos demum disponi columnas artis est. Verba Vitruvii

sunt libro 3. cap. 3. extructis autem fundamentis ad libramentum stylobatæ sunt collocandi, supra stylobatas columnæ disponendæ. quibus ex verbis satis intelligitur non statuarum, sed columnarum bases esse stylobatas. quamvis hoc non tantum sit in te reprehendendum, quantum quod aliquando Vitruvium interpretari ausus fueris. Pro Deum atque hominum fidem! Quis tu es, qui tantum auctorem explicare posses? an non sentis te non solum nihil ex liberalibus disciplinis unquam attigisse, verum etiam Græcam linguam penitus ignorare, Latinam vero vix primoribus ut ajunt, labris degustasse. Tam ne stupidus es, ut non videas, a nemine Vitruvium recte intelligi posse, nisi qui prius linguarum cognitionem, etiam Mathematicas ad unguem doctrinas edidicerit? quanta igitur fuit tua temeritas? ut tot ignorantia renebris oppressus, illotis, ut ajunt, manibus, non exponere sed inquinare Vitruvii sensa nitereris? cuius enim rei peritus es? Latine ignoras, Græce nunquam didicisti. ad disciplinas non magis aptus es, quam Asinus ad citharam. philosophum ne pictum quidem unquam vidisti. Quæ cum ita sint; tamen, si diis placet, in Vitruvium nobis commentarios eructas. & quæ reperiſ apud Calepinum vocabula declaras, reliqua

q̄ha prætermittis, nihil enim, ut opinor, unquam  
præter Calepinum, perlegisti. quem Grammati-  
corum soles emporium & divitias appellare.

G: Mediolano publico proclamate est ejectus.

M: O miram eruditionem Merula tuam! ne-  
sciebam certe te tam peritum esse, aut tam dili-  
gentem ut etiam notariorum, quos vocant, verba  
scrutareris. hoc nimirum est delectum habere ver-  
borum, querere quæ etiam causidici vocabula  
soleant usurpare. atque equidem primo aspectu  
obstupui, quoniam talem nunquam antea dictio-  
nem audiveram. quid, inquam, hoc monstri est?  
quid est, publico proclamate ejici. ac primo qui-  
dem esse mendum in scriptura arbitrabar, deinde  
postquam intellexi notarios pro edicto publico  
solitos dicere *publicum proclama*, non potui scientiam  
& acumen tuum non vehementer admirari. osten-  
dis enim mehercle mirificum ingenium. nam si  
dicimus poëma, poematis cur non etiam procla-  
ma, proclamatris? sed vereor ne isti Juvenes, quos  
ego latini candoris amatores esse scio, tuam in-  
scitiam videant, qui non intelligas, hæc omnia  
Græca esse nomina quæ ita declinantur, ut thema,  
epigramma. Hoc vero tuum proclama ex barba-  
rorum colluvione profluxisse. Quid igitur tibi fa-  
ciam?

46 M. ANTONII MAJORAGII

ciam? etiam si velim defendere non possum. nam auditores isti *non adeo obtusa gestant pectora*, ut non facile agnoscant, te omnino delirare.

G: Citra controversiam principes.

M: Hoc quidem modo loquuntur plurimi, sed felici illa Ciceronis ætate, nemo unquam citra controversiam dixit, pro sine controversia.

G: Vicariatus titulo Cæsar ornavit.

M: Respicite parumper quam sit felix hic noster Merula, nullo enim timore legum, nulla superstitione imbutus est, quicquid in buccam venit illud evomit, nec tam studiosus est latinitatis quam libertatis. vult sibi licere potius evomere quam dicere. Quid ad me, inquit, si vicariatus non est latinum vocabulum. Satis est quod mihi placet. At ego tibi contra dico, cui placent hæc barbara vocabula, non illi posse Ciceronem aut Terentium placere. quare non meo judicio damnatus est Cicero, neque Terentius, sed tuo.

G: Dominium Urbis restituere volens.

M: Neque dominium Cicero dixit unquam, neque tricenarium numerum. Quod vero dicis: habebant & vitæ, & necis auctoritatem, absurdum est, & impro prium. dicimus enim habere vitæ & necis potestatem non auctoritatem, ut Cicero pro domo

domo sua. *In te P. Fontejus vitæ necis que potestatem habet.* & Salustius in Ciceronem, *erupta libertate omnium nostrum vitæ necis que potestatem ad te unum revocaveras.*

G: Quam sit nostra civitas antiquissima.

M: Quam recte memoriter tenet institutiones suas? videtis ne, ut etiam hoc loco quam pro quantum superlativo adjunixerit? sed advertite flosculum elegantiorum.

G: Et quia æstus intuentissimus urgebat.

M: Quis vestrum adeo fuit oculatus unquam, ut æstum intuentissimum, pro maximo calore, vel in Terentio, vel in Tullio notaret? At Merula novas locutionis Veneres excogitat. dum enim nos in Cicerone notamus, *nimios ardores, & calores maximos*, ille nobis æstus intuentissimos adducit. Cicero de Natura Deorum *Ethesiarum flatu nimis temperantur calores.* ad Quintum fratrem: *ego ex maximis caloribus, non enim majores meminimus, in Arpinati summa cum amaritatem fluminis me refeci ludorum diebus.*

G: Cum lebes sit vas coquinarium.

M: Omnino Gaudentius noster Tincæ Placentini similis est, qui duos in uno verbo solæcismos committebat. nam neque coquinarium vas latine dicitur, neque id unde deduxit hoc vocabulum, hoc

hoc est coquina reperitur. dicimus enim culinam non coquinam. Juvenalis: *captum te nidore sue putat ille culinae.* Cicero in epistolis. *oblitus ne es fungorum illorum, quos apud Niciam, & ingensium culinarum cum Sophia septimiae?* unum etiam addam flosculum, deinde finem dicendi faciam. neque enim est animus omnia persequi.

G: Nihil tamen adæque fuit admirabilius.

M: O locutionem notatu dignissimam: adæque admirabilius. dic mihi Merula, quomodo possit hoc fieri? si admirabilius, quomodo adæque? & si adæque, quomodo admirabilius? noli tuam sapientiam occultare. repetunt a te omnes isti Juvenes discendi cupidissimi hujus rei rationem. est ne aliquid quod eodem tempore ad aliquid aliud collatum possit esse magis & minus? aut par & majus? certe negabitis. ergo qui dixit nihil adæque fuit admirabilius, insultissime locutus sit, necesse est. Restat illa ultima sordidorum verborum, & obsoletorum, & barbarorum farriago, quam quoniam affectasse dedita opera videatur, hoc tempore non tangam. tantum admonebo Draghetum illum quicunque sit, non enim agnoscō, qui in extrema parte Dialogi Lectorem alloquitur, ut hunc Merulam, quamvis fortasse civem suum,

suum, odio novercali prosequatur, & suas injurias ulciscatur, quod eum induxit tam contorte, & barbare loquentem. Nam endecasyllabum illud hujus Dragheri, quod Dialogo præfixum est, adeo politum ac venustum est, ut pluris sit faciendum, quam totus Dialogus. Nunc ad vos me verto candidissimi Auditores, qui me patienter, & benigne tamdiu loquentem audivistis, rogoque atque obtestor, ut quæcunque à me dicta sunt, ea vos in bonam partem accipiatis, & existimetis etiam honorem in hac re vestrum agi. non enim me solum offendit, sed vos etiam omnes, cum ab hac civitate pulsas ac fugatas esse bonas literas finixeris. Quoniam obtem unusquisque vestrum ita cogitet, me non meam tantum sed vestram etiam & publicam esse ultum injuriam, meque responde-re voluisse, non lacestere, ut ait Terentius, *benedictis si certasset, audisset bene*, quod ab ipso allatum est, sibi esse id relatum putet. Deinde quoniam non pugnis inter nos, sed doctrina contendimus, si qua in re se lèsum arbitratur, respondeat, & utatur ea modestia qua nos nisi sumus, ut de eruditione tantum verba faciat, mores ac vitam ne attingat. quamvis ita vixerim ab ineunte ætate, ut, ne si cupiat quidem, possit in mores meos quicquid

G

quam

50 M. ANTON. MAJORAG. APOLOG.

quam vere dicere, tamen non vos latet, quam odio-  
sum sit falsis criminibus accusari. De vobis autem  
nihil dubito, quin me omnes ex animo diligatis  
quemadmodum ego totam Mediolanensem na-  
tionem non solum diligo, sed etiam vehementer  
amo. Itaque spero me brevi tempore publica ora-  
tione declaraturum quantum huic civitati debe-  
am, & quantum vos omnes colam atque obser-  
nem. Interim eam quam de me concepistis opinio-  
nem retinete, præsertim cum jam aperite intellexe-  
ritis me id præstissem, quod fueram pollicitus.  
Non enim quisquam, ut opinor, amplius dubita-  
re potest, quin planum fecerim, eum qui meo ju-  
dicio Ciceronem ac Terentium damnatos esse fix-  
xit, imprudenter esse mentitum.

F I N I S.

1167.13

MS. B.6.28.4.3















